

0475-0475- Concilia Galliae - Statuta Ecclesiae Antiqua

Concilia Galliae 314-506 - Statuta ecclesiae antiqua c. a. 475

Qui episcopus ordinandus est, ante examinetur si natura prudens est, si docibilis, si moribus temperatus, si uita castus, si sobrius, si semper sui negotii, si humilibus affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, et ante omnia si fidei documenta uerbis simplicibus asserat, idest patrem et filium et spiritum sanctum unum deum esse confirmans, totam que in trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem praedicans, si singulam quamque in trinitate personam plenum deum et totas tres personas unum deum; si incarnationem diuinam non in patre neque in spiritu sancto factam, sed in filio tantum, ut qui erat in diuinitate dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, deus uerus ex patre et homo uerus ex matre, carnem ex matris uisceribus habens et animam humanam rationabilem, simul in eo ambae naturae, idest homo et deus, unus filius, unus christus, unus dominus, creator omnium quae sunt, et auctor et dominus et creator cum patre et spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit uera carnis passione, mortuus uera corporis sui morte, resurrexit uera carnis suae resurrectione et uera animae resumptione, in qua ueniet iudicare uiuos et mortuos.

Quaerendum etiam ab eo si noui et ueteris testamenti, idest legis et prophetarum et apostolorum, unum eundem que credat auctorem et deum; si diabolus non per conditionem sed per arbitrium factus sit malus.

Quaerendum etiam ab eo si credat huius quam gestamus et non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his quae in hac carne gesserunt uel poenas uel glorias, si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnum perceptionem non culpet, si paenitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, idest tam illud originale contractum quam illa quae uoluntarie admissa sunt dimittantur, si extra ecclesiam catholicam nullus saluetur.

Cum in his omnibus examinatus inuentus fuerit plene instructus, tunc consensu clericorum et laicorum et conuentu totius prouinciae episcoporum, maxime que metropolitani uel auctoritate uel praesentia ordinetur episcopus, suscepto in nomine christi episcopatu, non suae delectationi nec suis motibus, sed his patrum definitionibus adquiescat.

(Xiv) vt episcopus non longe ab ecclesia hospitium habeat.

(Xxxv) vt episcopus in ecclesia in consensu presbyterorum sublimior sedeat, intra domum uero collegam se presbyterorum esse cognoscat.

(Xx) vt episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed ut lectioni et orationi et uerbi dei praedicationi tantummodo uacet.

(Xv) vt episcopus uilem supellectilem et mensam ac uictum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide et uitae meritis quaerat.

(Xvi) vt episcopus gentilium libros non legat, haereticorum autem pro necessitate et tempore.

(Xviii) Vt episcopus tuitionem testamentorum non suscipiat.

(Xvii) vt episcopus gubernationem uiduarum et pupillarum ac peregrinorum non per seipsum, sed per archipresbyterum uel archidiaconum agat.

(Xix) vt episcopus nec prouocatus pro rebus transitoriis litiget.

(Xxi) vt episcopus ad synodum ire satis graui necessitate inhibeat, sic tamen ut in persona sua legatum mittat, suscepturus salua fidei ueritate quidquid synodus statuerit.

(Xxii) vt episcopus absque consilio compresbyterorum suorum clericos non ordinet, ita ut ciuium conniuentiam et testimonium quaerat.

(Xxvii) vt episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus.

Sane si id utilitas ecclesiae faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto, per sententiam synodi transferatur, nihilominus alio in loco eius episcopo subrogato; inferioris uero gradus sacerdotes uel alii clerici, concessione suorum episcoporum, possunt ad alias ecclesias transmigrari.

(Xxxiv) vt episcopus quolibet loco sedens stare presbyterum non patiatur.

Vt in sacerdotibus ordinandis etiam aetas requiratur.

(Xxxiii) vt episcopus nullius causam audiat absque praesentia clericorum suorum; alioquin irrita erit sententia episcopi nisi clericorum praesentia confirmetur.

(Xxxi) vt episcopus rebus ecclesiae tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.

(Lxxxiv) vt episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire uerbum dei, siue gentilem, siue haeticum, siue iudaeum, usque ad missam catechumenorum.

(Lv) vt episcopus accusatores fratrum excommunicet.

Et si emendauerint uitium, recipiat eos ad communionem, non ad clerum.

(Lxxiv) vt sacerdos paenitentiam implorandi absque personae acceptione paenitentiae leges iniungat.

(Lxxv) vt negligentiores paenitentes tardius recipiantur.

(Lxxvi) is qui paenitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus uenit, oppressus infirmitate obmutuerit uel in phrenesim uersus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat paenitentiam.

Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius eucharistia.

Si superuixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suae satisfactum et subdatur statutis paenitentiae, quamdiu sacerdos qui paenitentiam dedit probauerit.

(Lxxviii) paenitentes qui in infirmitate uaticum eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.

(Lxxix) paenitentes qui attente leges paenitentiae exequentur, si casu in itinere uel in mari mortui fuerint, ubi eis subueniri non potuit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.

(Lxxxv) baptizandi nomen suum dent et diu sub abstinentia uini et carnum ac manus impositione crebra examinati baptismum percipiant.

(Lxxxvi) neophyti aliquamdiu et lautioribus epulis et spectaculis uel coniugibus abstineant.

(Xliv) clericus nec comam nutriat nec barbam radat.

(Xlv) clericus professionem suam etiam habitu et incessu probet et ideo uestibus nec calceamentis decorem quaerat.

(Xlvi) clericus cum extraneis mulieribus non habitet.

(Xlvii) clericus per plateas et andronas certa et maxime officii sui necessitate ambulet.

(Lii) clericus uictum et uestimentum sibi artificiolo uel agricultura absque officii sui dumtaxat detrimento praeparet.

(Lxxxvii) catholicus qui causam suam siue iustam siue iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis prouocat excommunicetur.

(Xxiv) sacerdote uerbum in ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

(Lxxxiii) pauperes et senes ecclesiae plus ceteris honorandos.

(Lxxxviii) qui die sollempni, praetermisso ecclesiae conuentu, ad spectacula uadit, excommunicetur.

(Xlviii) clericus, qui non pro emendo aliquid in nudinis uel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

(Xlix) clericus, qui absque corpusculi sui inaequalitate uigiliis deest, stipendio priuetur.

(Ci) uiduae adulescentes, quae corpore debiles sunt, sumptu ecclesiae, cuius uiduae sunt, sustententur.

(Xcix) mulier, quamuis docta et sancta, uiros in conuentu docere non praesumat.

(Xcviii) laicus, praesentibus clericis, nisi ipsis probantibus, docere non audeat.

(Xcvii) vir qui religiosis feminis praeponeendus est, ab episcopo loci probetur.

(Lxxiii) qui communicauerit uel orauerit cum excommunicato, excommunicetur, clericus uel laicus.

(C) mulier baptizare non praesumat.

(Liv) clericus inuidens fratrum profectibus, donec in uitio est, non promoueatur.

(Lvi) clericus, qui adulationibus et proditiionibus uacare deprehenditur, regradetur ab officio.

(Lvii) clericus maledicus, maxime in sacerdotibus, cogatur ad postulandam ueniam; si noluerit, regradetur, nec unquam ad officium absque satisfactione reuocetur.

(Liii) omnes clerici qui ad operandum ualidi sunt, et artificiola et litteras discant.

(Lviii) eius, qui frequenter litigat et ad accusandum facilis est, testimonium nemo absque grandi examinatione recipiat.

(Xxv) dissidentes episcopos, si non timor dei, synodus reconciliet.

(Lix) discordantes clericos episcopus uel ratione uel potestate ad concordiam trahat, inoboedientes synodus per audientiam damnet.

(Xciii) oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur.

(Xxxii) irrita erit episcopi uel donatio uel uenditio uel commutatio rei ecclesiasticae absque conuiuentia et subscriptione clericorum.

(Xxviii) irritam esse iniustam episcoporum damnationem et idcirco a synodo retractandam.

(Xcvi) quaerendum in iudicio cuius sit conuersionis et fidei is qui accusat et is qui accusatur.

(Xxx) caueant iudices ecclesiae ne, absentante eo cuius causa uentilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, immo et causam in synodo pro facto dabunt.

(Xxvi) studendum episcopo ut dissidentes fratres, siue clericos siue laicos, ad pacem magis quam ad iudicium cohortetur.

(Lxvii) seditonarios nunquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios nec iniuriarum suarum ultores.

(Xxxiii) episcopus uel presbyter, si causa uisitandae ecclesiae, alterius episcopi ad ecclesiam ueniant, in gradu suo suscipiantur et tam ad uerbum faciendum quam ad oblationem consecrandam inuitentur.

(Xxxvii) diaconus ita se presbyteri ut episcopi ministrum nouerit.

(Xxxviii) ut diaconus, praesente presbytero, eucharistiam corporis christi populo, si necessitas cogit, iussus eroget.

(Xxxix) ut diaconus quolibet loco, iubente presbytero, sedeat.

(Xl) ut diaconus tempore tantum oblationis et lectionis alba utatur.

(Xl) ut diaconus in conuentu presbyterorum interrogatus loquatur.

(Xc) omni die exorcistae energumenis manus imponant.

(Xci) pauimenta domorum dei energumeni euerrant.

(Xcii) energumenis in domo dei assidentibus uictus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.

(Lxxx) omni tempore indicti ieiunii manus paenitentibus a sacerdotibus imponantur.

(Lxxxix) mortuos ecclesiae paenitentes efferant et sepeliant.

(Lxxxii) paenitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

(Cii) ad reatum episcopi pertinet uel presbyteri qui parrociae praeest si, sustentendae uitae praesentis causa, adulescentiores uiduae uel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subiciantur.

(Xciv) eorum, qui pauperes opprimunt, donaria sacerdotibus refutanda.

(Xliii) christianum catholicum, qui pro catholica fide tribulationes patitur, omni honore a sacerdotibus honorandum, etiam in quotidiani uictus ministerio.

(Xlii) clericum inter tentationes officio suo incumbantem gradibus sublimandum.

(L) clericum inter tentationes ab officio declinantem uel negligentius agentem ab ipso officio remouendum.

(Lx) clericum scurrilem et uerbis turpibus iocularem ab officio retrahendum.

(Lxi) clericum per creaturas iurantem acerrime obiurgandum; si perstiterit in uitio, excommunicandum.

(Lxiii) clericum inter epulas cantantem supradictae sententiae seueritate coercendum.

(Lxii) clericum, qui tempore indicti ieiunii absque ineuitabili necessitate ieiunium rumpit, minorem habendum.

(Lxiv) qui dominico die studiose ieiunat non credatur catholicus.

(Lxv) paschae sollemnitas uno die et tempore celebranda.

(Li) clericus, quamlibet uerbo dei eruditus, artificio uictum quaerat.

(Lxx) clericus haereticorum et schismaticorum tam conuiuia, quam sodalitates aequaliter uitet.

(Lxxi) conuenticula haereticorum non ecclesias sed conciliabula appellanda.

(Lxxii) cum haereticis neque orandum neque psallendum.

(Lxxxix) auguriis uel incantationibus seruientem a conuentu ecclesiae separandum; similiter et iudaicis superstitionibus uel feriis inhaerentem.

(Lxviii) ex paenitentibus, quamuis bonus, clericus non ordinetur; si per ignorantiam episcopi factus fuerit, deponatur a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse paenitente; si autem sciens episcopus ordinauit, etiam ipse ab episcopatus sui ordinandi dumtaxat potestate priuetur.

(Lxix) simili sententiae subiacebit episcopus, si sciens ordinauerit clericum eum qui uiduam aut repudiatam uxorem habuit uel secundam.

(Xcv) qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.

(Xxxvi) presbyteri, qui per dioceses ecclesias regunt, non a quibuslibet episcopis, sed a suis, nec per iuniorem clericum, sed aut per seipsum aut per illum qui sacrarium tenet, ante paschae sollemnitatem, chrisma petant.

(Lxvi) clericus, qui episcopi circa se distriktionem iniustam putat, recurrat ad synodum.

(Xxix) episcopus, si clerico uel laico crimen impegerit, deducatur ad probationem in synodo.

Recapitulatio ordinationis officialium ecclesiae.

(Ii) episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant euangeliorum codicem super ceruicem eius, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

(Iii) presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant.

(Iv) diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium sed ad ministerium consecratur.

(V) subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat uacuum et calicem uacuum, de manu uero archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanile ac manutergium.

(Vi) acolitus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferrarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari; accipiat et urceolum uacuum ad suggerendum uinum in eucharistiam sanguinis christi.

(Vii) exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: accipe et commenda, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum siue baptizatum siue catechumenum.

(Viii) lector cum ordinatur, faciat de illo uerbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac uitam atque ingenium; post haec, expectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum: accipe et esto uerbi dei relator, habiturus si fideliter et utiliter impleueris officium, partem cum his qui uerbum dei ministrauerunt.

(Ix) otarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo dei debeat conuersari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus clauis ecclesiae de altari dicens: sic age, quasi redditurus deo rationem pro his rebus quae istis clauibus recluduntur.

(X) psalmista, idest cantor, potest absque scientia episcopi, sola iussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: uide ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis operibus probes.

(Xi) sanctimonialis uirgo, cum ad consecrationem sui episcopo offertur, in talibus uestibus applicetur qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniae aptis.

(Xii) uiduae uel sanctimoniales, quae ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructae sint ad id officium, ut possint aperto et sano sermone docere imperitas et rusticanas mulieres, tempore quo baptizandae sunt, qualiter baptizatoris ad interrogata respondeant et qualiter accepto baptisate uiuant.

(Xiii) sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis uel a paranymphis offerantur.

Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reuerentia ipsius benedictionis, in uirginitate maneant.

(Ciii) uiduae, quae stipendio ecclesiae sustentantur, tam assiduae in dei opere esse debent, quae et meritis et orationibus suis ecclesiam iuent.